

non fuerit sepultura, uxorem in sepulchro ultimo viri sepeliendam, filios vero in sepulchro majorum, servus autem in Parochia.

Ad IX.: Censuit negative. *Pignatell.* tom. 1. consult. 17.

18) Electionis in ecclesia licentiam quis concedit?

Vd.: *Sepult. intra ecclesiam.*

Ad dub.: Num illi, qui coram testibus dumtaxat, licet absque scriptura, in Regularium ecclesiis sepulturam sibi elegerint, ibidem sint sepeliendi? S. Congr. Episc. et Regul. respondit in dictis ecclesiis esse sepeliendos, sine praejudicio tamen jurium parochialium, die 11. Decembris 1615.

Sepulchrum in ecclesiis confraternitatum haberi potest, sed de licentia Episcopi, uti decisum a S. Congreg.: *Instit. eccles.* 105. §. 124.

19) Eorum, qui in habitu religioso sepeliri volunt.

Vd.: *Sepult. (Tertiar., Regul.)*

Volentes sepeliri in habitu Religiosorum, non est de necessitate, quod tumulentur in ecclesiis eorum, quorum est habitus, sed possunt sepeliri, ubi sepulturam elegerint, prout eorum relinquitur arbitrio a Leone X. constit. incip.: *Dum intra*, ibi: Volentes quoque sepeliri in habitu eorumdem fratrum in claustro non degentes sed in propriis domibus cohabitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint. Et sic statuit etiam S. Congr. Episcop. et Regular. in Novarien. 23. Novembris 1582 apud Pignatell. tom. 1. consult. 17. n. 20. rescribens illius civitatis Episcopo in haec verba: „V. S. non permitta in modo alcuno, che i Terziarj si confessino, se non da quelle persone, che sono state ammesse alle Confessioni da lei, benche siano Frati,

perche niun deve confessare senza l'approvazione dell' Ordinario. Facendo intendere inoltre alli Terziarj, che abitano nelle case loro, che s'ingannano pensando, che tutti quelli, che hanno l' abito da Terziario, si debbano senz' altro, quando muojono, sepellire nelle Chiese de Frati, se essi non si sono eletta quella sepoltura, e gli faccia capaci, che non hanno tanti privilegi, quanti forse si persuadono, come si può vedere nel Concilio Lateranense ultimo nella sess. 11. Ne meno e vero, che ognuno, che lascia morende d'esser vestito con l'Abito di Terziario, o di Frate, percio debba esser sepolto nella Chiesa de Frati, se non hanno mostrato più che chiaramente la loro volontà circa l' elezione della sepoltura, ma doveranno esser portati, dove di ragione sarebbero andati senza quell' Abito. Et idem censuit S. Congr. Concilii in Neapolitana 13. Februarii 1666 in responsione ad 9. dubium, quod erat conceptum his verbis:

„An qui post mortem mandat suum corpus indui habitu tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia Regularium?“

S. Congregat. censuit: Negative.

Barbosa tamen lib. 2. jur. Eccles. univ. cap. 10. n. 73 et de offic. et potest. Parochi cap. 26. n. 73. refert sequens decretum: „Suscipientes habitum a Guardiano vel ab alio, cui ille committendum duxerit, et cum eo decedentes, in Ecclesiis ejusdem ordinis ecclesiasticae sepulturae sunt tradendi, si Guardiano propter habitus concessionem et receptionem eos praemonuit, eorum cadavera ibi sepelienda esse,“ ut censuit S. Congr. in Nepe- sina 11. Decembris 1615 ad 2, et *Samuel.* de sepultur. tract. 1. controvers. 15. conclus. 12. allegat, ut sequitur, Bullam auream Sixti IV. ibi: „Cum autem nonnulli ad ordines praedictos praedicatorum et minorum spe-

cialiter gerentes devotionis affectum eorum cadavera cum habitu FF. praedicatorum et minorum seu fratrum vel sororum de Poenitentia utriusque ordinis praedicatorum et minorum sepeliri mandent et persaepe antequam moriantur habitum hujusmodi eis postulent exhiberi,“

„Decernimus, habitum hujusmodi per Priorem domus ordinis praedicatorum, Guardianum domus ordinis minorum loci, in quo tales decedere contingit, vel per superiorem Praelatam ipsorum ordinum, domorum seu prioris et Guardiani vel cui illi duxerint committendum dumtaxat et non per alium quavis auctoritate vel praelatione fungentem exhiberi debere. Qui praedictum habitum recipientibus declarare teneantur apud eorum ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum suscipiunt, et illorum sic indutorum cadavera discooperata nullo pallio seu tegumento superposito deferri posse; Ordinariorum etiam sub censuris prohibitionem locorum qualibet in contrarium edita non obstante, quas quoad hoc modificamus.“

Adest praeterea declaratio S. Congr. Episc. et Regul. sub his verbis: „Praedicta cadavera recto tramite sunt ad Ecclesias Regularium deferenda cum Parocho, quo requisito expresse, si venire recusaverit, licere tunc eisdem regularibus, etiam ipso invito, portare ad suas Ecclesias.“

Rota die 11. Decbr. 1615.

(L. † S.) Antonius Maria, Cardinalis Gallius. V. Theatinus Secr.

„Eadem interrogata S. Congr. a Patribus minoribus: *An in eorum Ecclesiis sepelienda sint cadavera illorum, qui dicti ordinis habitu induiti ex hac vita migrarunt?* Respondit: Id fieri debere, si tamen a Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit

aut ab alio Superiore vel altero, cui id Superior committendum duxit, habitum receperunt, ac praedicti Guardianus vel alius Superior hujusmodi suscipientes praemonuerint, eorum cadavera propter habitus concessionem ac receptionem penes ipsos Fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda.“ Hactenus apud *Samuelli* loc. cit. concl. 12.

Ad dub.: An in Ecclesiis Fratrum sepelienda sint cadavera eorum, qui ejusdem ordinis habitu induiti ex hac vita migrarunt? Resp.: Si conditiones in Bulla aurea fel. rec. Sixti Papae IV. contentas, in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet quod a Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint et praedictus Guardianus vel alius Superior eosdem praemonuerit, eorum cadavera propter habitus concessionem seu receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda, eo casu cum habitu religionis decedentes in Ecclesiis pariter ejusdem religionis ecclesiasticae sepulturae esse tradendos: S. Congr. Episcop. et Regul. Die 11. Decbr. 1615.

20) Episcopi.

Ad dub.: Ad quem spectat Episcopo defuncto officia facere? S. C. resp.: *Servetur Caer. Ep. lib. 2. cap. 38. n. 3593 ad 1 die 13. Aug. 1701.*

Ad dub.: An spectet ad Dignitates gradatim juxta eorum ordinem vel potius ad Canonicos Episcopo defuncto officia celebrare? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. N. 3855. ad 3 die 26. Aug. 1713.

De vestib. def. Episcopo induendis vd.: *Sepult. (Sacerd. def.); Paramenta Episcopi post obitum.*

Sepult. (Cardin.; delat. cadav.)

Episcopi decedentes in propria dioecesi, non electa Sepultura nec habentes sepulchrum majorum, sepeliri debent in propria Cathedrali tamquam sua sponsa; si vero decedant extra dioecesim et commode possint deferri ad propriam Cathedrali, sunt in ea tumulandi. Si autem ad ipsam commode deferri non possint, tumulandi sunt in Ecclesia digniori loci, in quo decedunt, quia de ea ratione dignitatis eorum praesumitur voluntas. *Card. Petra* n. 36., *Sperell.* decis. 87. n. 42., *Antonell.* loc. cit. n. 28., *Panimoll.* decis. 5. Adnot. 3. n. 45., *Matthaeucc.* n. 11. et alii passim. *Quod si habeant duas Ecclesias aequaliter unitas, sepeliendi sunt in ea, in qua deceserunt, at si non sunt aequaliter unitae sed una alteri subiecta, sepeliri debent in principali.* *Card. Petra* n. 23. et alii.

21) Facienda.

1) A Canonicis parochis Cathedrali, etc.

Vd.: *Processio funebris.* (Praecedent.; praecipue decr. n. 4673); *Sepultura* (a par. fac. de die 5. Julii 1592 et n. 2327; 2442.) *Paroch.* (praec.) Vd.: t. II. p. 819 nota ad decr. n. 4592 ad 5.)

Ad dub.: An electa a parochiano s. Victoris sepultura in Ecclesia Colleg. et recusante illius Curato levare cadaver liceat Capitulo levare et deferre illud ad propriam Ecclesiam? S. C. resp.: Perquisito, expectato per congruum tempus et renuente Parocho affirmative. N. 4407 ad 16 die 10. Septembris 1782.

Quando cadavera Canonicorum Parochiae Cathedralis cum interventu Capituli ad eandem Ecclesiam tumulanda deferuntur, officium facere super eisdem cadaveribus, ad Archipresbyterum, cui adnexa est cura animarum Cathedralis, spectare. N. 3200 die 30. Julii 1689.

Ultra associationem cadaverum et recitationem officii Capitulum Cathedralis non potest levare cadavera decedentium in parochia s. Martini, qui sepulturam elegerint in dicta Cathedrali vel ibi Capellas aedificaverint, nisi requisito paroco s. Martini. N. 836 die 18. Aug. 1629.

Capitulum Navar. conquestum est de Canonicis Colleg., quod ausi sint processionaliter ingredi limites parochiae Cathedralis pro efferendo quodam cadavere ad eorum Collegiatam absque licentia et interventu Parochi proprii. S. C. resp.: Nullo modo licuisse Canonicis Colleg. ingredi parochiam Cathedrali. irrequisito et non expectato proprio paroco et cadaver fuisse sepeliendum in Parochia, sub qua decessit, sed non propterea justis de causis esse exhumanandum; omnia autem emolumenta funeralia esse per Canonicos restituenda parochiae Cathedrali. absque ulla replicatione, prout in effectu integraliter restitui, et a similibus in posterum abstineri. N. 798 die 15. Jan. 1633.

Non licere Canonicis extra Cathedrali officium facere super cadaveribus sed hoc munus spectare ad Curatos illarum Ecclesiarum, in quibus cadavera debent tumulari. N. 980 die 5. Mart. 1633.

Quando aliquis Parochianus s. Petri eligit sepulturam in Ecclesia s. Georgii, praepositus s. Georgii officium super cadavere etiam praesente Archipresbytero et Clero s. Petri facere debeat. N. 1047 ad 10 die 6. Septbr. 1636.

In funeralibus defunctorum parochiae Cathedralis, quae deferuntur ad sepeliendum in Ecclesiis Regularium existentibus intra fines parochiae Collegiatae, onus functionis tum in via tum ante januam Ecclesiae spectat ad parochum Cathedralis. N. 2119 ad 3 die 2. Julii 1661.

In funeralibus defunctorum, qui veniunt extra civitatem ad sepeliendum in Ecclesia societatis Jesu sita intra fines parochiae Collegiatae, onus functionis spectat ad parochum Cathedrali. N. 2119 ad 4 die 2. Julii 1661.

Dum Capitulum Colleg. fuerit invitatum ad funus, potest requisito et expectato Paroco nolente funus levare. N. 2286 ad 6 die 12. Julii 1664.

Officium super cadaveribus sepeliendis in Colleg. Itri et ex occasione canere missam spectare ad Parochum Collegiatae ac eo absente ad rectorem aut istius digniorem Capellanum dictae Ecclesiae. N. 2516 ad 1 die 13. Septbr. 1670.

Officium faciendum in Ecclesia Collegiata circa funus ad eandem delatum pro sepultura spectat ad dignitatem Colleg. N. 2286 ad 7 die 12. Julii 1664.

Andrien.

Ad dub.: An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione parochianorum defunctorum intra ambitum Cathedralis et tumulandorum in Ecclesia s. Nicolai aut in alia ambitus ejusdem Ecclesiae in casu?

S. C. resp.: A. Vicario Cathedrali.

Die 15. Septbr. 1770.

2) A Capellanis confraternit.

Ad dub.: An possint Capellani Confraternitatis mortis facere off. funebre super cadaveribus defunctorum sive Confratrum sive eligentium sepulturam tam eorum, qui subjecti sunt paroco, quam tumulandorum de aliena parochia sine interventu parochi s. Severi? S. C. resp.: Affirmative, quatenus tumulandus sit de aliena parochia. N. 3911 ad 4 die 9. Julii 1718.

Ad dub.: An pertineat ad parochum vel potius Capellanum Confraternit.

facere off. funebre super cadaveribus eorum, qui non sunt parochiani, sepeliendis in Ecclesia Confraternitatis? S. C. resp.: Negative ad parochum, affirmative ad Capellanum. N. 3928 ad 7 die 13. Maii 1719.

Cf.: *Stola in funeralibus; Sepult.* (a par. fac. decr. de die 12. Jan. 1704; in eccles. Confrat.)

Ad dub.: An liceat Confraternitati sepelire in paroch. eccles. cadavera confratr. et consorum, qui ibidem elegerint sepulturam, et an ejusdem Capellanus absente paroco valeat officium aliasque functiones super eisdem cadaveribus explere? S. C. C. resp.: Affirm. quoad primam part., negat. quoad secundam, nisi parochus vocatus renuat vel alium sacerdotem non substituatur. Die 28. Julii 1724.

Orator. publ. (functiones etc.)

3) Ab eo, cui consuetudo immemorab. est.

Jus sepeliendi per consuetudinem acquiri posse affirmant *Ursaya* disc. 17. n. 63 et seq. tom. 4. part. 2., *Scarfanton.* ad Ceccoper. addit. 48. n. 64.

(Ex resol. diei 13. Junii 1789. *Ravenaten.*)

4) A Paroco saeculari.

Cf.: *Stola in funeralibus; Moniales* (sepultura). *Diaconus; Sepult. Canonicorum; Cadaver* (jurisdictio); *Process. fun.* (via per al. paroch.); *De sepultura Graecor.* vd.: *Unctio in Baptismo Italo-Graecor.* n. XI.; *Paroch.* (praeced.) *Sepultura* (electio); *sepult.* (eorum, qui in habitu etc.; sacerdotis defuncti)

Regulares non debere aspergere cadavera defunctorum sepelienda in ipsorum ecclesia et intonare psalmum: *Exultab. dom. extra eorum ecclesiam,* sed id spectare ad Archipresbyterum Collegiatae parochialis Corinaldi. N. 2652 ad 4 die 12. Augusti 1673.

Non licere haeredibus defuncti vocare aliquam Dignitatem vel Canonicum aut Presbyterum sibi visos ad peragendas functiones cum stola super cadaveribus invitis et contradicentibus Parochis. N. 2615 die 21. Jan. 1673.

In ecclesia, ubi sepelitur corpus defuncti, *etiam Canonici Cathedr.*, sive habuerit sive elegerit sepulturam, ad Parochum ipsius ecclesiae pertinere officium facere. N. 2442 die 9. Junii 1668.

Ad dub.: An moriente aliquo Canonico Cathedr. in alia Parochia quam Cathedral. possit Capitulum excludere Parochum ab interventu cum stola et pluviali ad funera seu ei adimere quartam funeralem? S. C. resp.: Manutendum esse Parochum in exercitio functionum parochial. privative quoad Capitulum. N. 2827 ad 5 die 10. Julii 1677.

Officium super cadaveribus peragere debere rectorem in sua parochiali, etiam quod interveniat Capitulum Collegiatae. N. 1045 ad 3 die 21. Junii 1636.

Jus faciendi functiones in parochiali super cadaveribus spectare ad Parochum non autem ad Capitulum Cathedral. N. 4262 ad 13 die 18. Decembris 1756; n. 2546 die 13. Junii 1671.

Ad Curatos, in quorum Parochiis defuncti obierunt, benedictionem corporum pertinere, non autem ad Regulares extra eorum ecclesiam. N. 328 die 18. Novembris 1606.

Regulares non posse sub praetextu, quod in vita mandaverint testatores, velle sepeliri cum *habitu s. Francisci*, eorum cadavera extrahi de Parochia sine interventu aut de consensu proprii Parochi. N. 1060 die 12. Junii 1638.

Quando quis in una parochia moritur et in alia sepelitur, benedictionem in *domo* mortui faciat proprius Parochus, qui stolam deferrens a *domo* defuncti usque ad ecclesiam, in qua corpus sepelitur, aliis omnibus praecedere debet. In ecclesia vero, in qua corpus sepelitur, officium faciat et aliis praecedat Parochus ipsius ecclesiae... quibuscumque non obstantibus. N. 493 die 5. Junii 1614.

Parochum teneri associare cadavera in ecclesiis Regularium sepelienda. N. 2733 ad 5 die 22. Junii et 13. Julii 1675.

Quando ecclesia tumultans est a parochiali diversa, ducto funere ad ecclesiam, non Parochus sed alius sacerdos ejusdem ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus cotta et stola vel etiam pluviali nigri coloris, prosequatur officium a rituali praescriptum. S. R. C. 3. Sept. 1746.

Regularibus nullo modo licere etiamsi specialis alicujus consuetudinis praetextu parochias cum cruce processionaliter aut aliter ad levanda et efferenda cadavera intrare vel illa efferre nisi vocato et exspectato proprio Parocho eoque ibidem praesente, nisi tamen ipse aliter consentiat vel requisitus venire expresse omnino recuset; neque etiam licere eisdem aut in *domo* aut per viam, dum cadaver ad sepeliendum defertur, illud aspergere neque ante januam Ecclesiae orationem cantare, antequam cadaver intus illam collocetur, etiamsi in eorum Ecclesiis suam defuncti elegerint sepulturam, haec enim omnia proprio parocho competere; ad regulares vero solum spectare facere officium circa cadaver, postquam intus eorum Ecclesias fuerit delatum. N. 576 die 12. Oct. 1619; n. 1611 ad 8 die 25. Sept. 1649; n. 2840 die 20. Novbr. 1677; n. 2909

die 27. Jan. 1680; n. 3722 ad 11 die 9. Maii 1705.

Non licere regularibus intonare *Miserere* sed omnia officia domi et per viam supra corpus defuncti facere ad parochum spectare et pertinere. N. 2771 die 21. Mart. 1676.

Nullo modo licere regularibus levare cadavera de *domo* propria absque licentia et consensu proprii parochi, in cujus parochia decesserunt, non obstante, quod cadavera sint sepelienda in eorum propriis Ecclesiis. N. 936 ad 1 die 22. Novbr. 1631; n. 2332 ad 3 die 31. Julii 1665; n. 1854 ad 2 die 1. Decbr. 1657.

Cadavera non posse lavari de *domo* propria nisi cum interventu vel licentia parochi, *quocum concordari debet de hora illa deferendi*. N. 942 ad 1 die 6. Decbr. 1631.

Corpora defunctorum, qui in Ecclesiis regularium sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam paroch. deferenda sed parochos teneri cadavera suorum parochianorum levare e loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiae regular., etiam ipsis regularibus non associantibus. N. 1337 die 6. Julii 1641; n. 1574 die 15. Decbr. 1646.

Ad controversiam inter parochos Ecclesiae s. Babilae et Canonicos ejusdem Ecclesiae S. C. resp.: Capitulo interessente alicui funerali seu officio mortuor. etc. spectare ad parochum officium facere et stolam deferre. N. 3048 ad 2 die 11. Mart. 1684.

Curati Cathedralis Navar. conquirebant societatem montis Pietatis velle cum cruce, cotta et stola ingredi eorum parochiam ad deferenda cadavera eorum, qui sunt in dicta societate descripti, contra stylum universalem; S. C. prohibuit, nisi de consensu parochi. N. 689 die 12. Junii 1627.

Ministri Ecclesiae s. Juliani conquesti sunt de Curatis loci praetendentibus facere officium super cadaveribus, quae deferuntur in eorum Ecclesiis sepelienda, nec non cantare missas aliaque facere, ac si essent in propria Ecclesia. S. C. resp.: Non licere. N. 779 die 20. Novbr. 1628.

Jus intonandi antiphonam *Exultabunt* in funeralibus juxta rituale romanum spectare ad parochum non autem ad primam Dignitatem Cathedral., quando Capitulum capitulariter intervenit, et non obstante, quod ipsa Cathedral. in processione praecedere debeat ipsis parochis et quod dictum rituale non disponit in casu, quo Cathedralis interveniat sed parochus cum suo Clero. N. 2538 die 21. Mart. 1671.

Ad parochum solum spectare aqua benedicta cadaver aspergere, antequam levetur e *domo* et ad eundem pertinere intonare antiphonam: *Si iniquitates* ac officium super cadavere in sua Ecclesia facere. N. 1260 ad 3 die 15. Septbr. 1640; n. 2576 ad 3 die 26. Mart. 1672.

Spectare ad Sacerdotes Societatis Jesu facere funeralia in Ecclesiis propriis super corporibus ibidem sepeliendis, si per se ipsos exercere voluerint, sin vero noluerint, non per externos presbyteros sed per proprium parochum esse peragenda. N. 1380 die 10. Mai 1642.

Regularibus assentientibus posse clericum saecularem absolutionem et missas defunctorum (exequias) celebrare. N. 1854 ad 1 die 1. Dec. 1657.

Non licuisse neque licere Capellanis sese in obeundis parochialibus functionibus immiscere, cum eadem ad Parochos privative quoad alios quoscunque pertineant. N. 1891 ad 2 die 8. Junii 1658.

Confessario monialium s. Clarae,

nullius dioecesis, provinciae Taurin., non competere usum stolae sed neque officium facere super cadaveribus, quamvis in Ecclesia monialium humana sunt. N. 2162 die 1. Apr. 1662.

Canonicorum Collegiatae sine cura animarum erectae cadavera levare et officium facere circa illa, dum deferuntur ad sepeliendum, spectare ad parochum, in cujus districtu Collegiata posita est, nisi Collegiata gaudeat privilegio apostolico. N. 2209 ad 5 die 17. Martii 1663.

Regulares s. Francisci Vieniae non possunt absque parochi consensu in domo defuncti canere officia def. resp. preces aliasque Orationes. N. 2273 ad 7 die 24. Maii 1664.

In Ecclesia, ubi sepelitur corpus defuncti, etiam Canonici Cathedr., sive habuerit sive elegerit sepulturam, ad parochum ipsius Ecclesiae pertinere officium facere. N. 2442 die 9. Junii 1668.

Ad parochum spectat facere officium super cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis confraternitatum et eorum Oratoris publicis, dummodo tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia vel Oratorium. N. 3670 ad 20 die 12. Jan. 1704.

Ad parochum spectat canere missam et facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in Oratorio confrat. s. Josephi Terrae majoris Curtis. N. 3832 ad 3 die 22. Novbr. 1710.

Precibus parochorum civitatis et dioecesis Venusinae reclamantium jus canendi missam in funeribus suorum parochianorum, quod quidem jus controvertitur a Capellanis confraternitatum, in quorum Ecclesiis defunctorum cadavera efferuntur, S. R. C. inhaerendo alias statutis rescribendum censuit: „Detur Generale Decretum diei 11. Jan. 1704 ad dub. 20., dummodo

defunctus sit parochianus.“ N. 4792 die 27. Aug. 1836.

Ad dub.: An Capellani seu Rectores et Governatores Ecclesiae s. Joannis Baptistae seu montis mortuorum de jure patronatu familiae de Jordano sitae intra fines Parochiae s. Angeli a Macerata Terrae s. Severini possint et valeant anniversaria necnon funeralia circa tumulum et praesente etiam cadavere missam solemnem aliasque functiones tam publicas quam privatas de per se facere absque ulla dependentia a Parocho, eoque minus illius interventu et assistentia? Et S. Rituum Congregatio tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis censuit respondendum: „Affirmative, ita tamen, ut spectet ad parochum peragere officium funebre praesente cadavere ad formam decretorum generalium n. 20.“ Et ita decrevit ac servari mandavit. N. 3721 ad 1 die 9. Maii 1705.

Parocho Mordani competit jus exercendi funeralia super cadaveribus in Ecclesia s. Francisci, olim regulari, nunc suppressa, existente intra fines suae parochiae, maxime si cadaver non est de ejus parochia. N. 3812 ad 2 die 13. Julii 1709.

Potest Parochus super cadavere exposito in Oratorio confraternitatis intra limites suae parochiae existente officium funeris peragere et missam sol. celebrare privative quoad Capallanos confraternitatis. N. 3784 ad 2 die 28. Apr. 1708. Idem decr. pro confraternitate s. Mariae Confalonis sub n. 3850 ad 1 die 11. Febr. 1713.

Prior ... Congregationis s. Philippi N. Placent. non potest facere officium funebre super cadaverib. def. in suo Oratorio. N. 3864 ad 1 die 10. Mart. 1714.

In Ecclesiam restituto funere, in qua Capitulum nullam habet parochialem

jurisdictionem, non ad primam Capituli dignitatem spectat funeris officium peragere seu exequias celebrare cadaveris sibi non subjecti sed potius ad parochum, intra cujus parochiae fines sita est Ecclesia, in qua cadaver eidem parochi ratione domicilii subjectum est tumulandum. N. 4484 ad 2 die 22. Jan. 1803. *Tiburina.*

Parochi jurisdictio supra defunctum durat quousque transeat in aliorum jurisdictionem; non transit autem in jurisdictionem regularium, nisi quando pervenit ad fores Ecclesiae eorum (28. Febr. 1708). Et sicut non licet parochi, deposito feretro ante limina Ecclesiae regularium, consuetas recitare preces supra cadaver, ita non poterunt regulares antequam vere et realiter sit cadaver intra limites propriae jurisdictionis, super illud absolvere, deposito feretro in vico, qui actus ad summum unice spectaret ad parochum. N. 4119 ad 13 die 2. Septembris 1741.

Sorana.

Quum intra limites parochialis Ecclesiae s. Restitutae civitatis Soranae sit Ecclesia, antea juris ordinis Conventualium, s. Francisco Assisiensi dicata et modo cuidam sodalitati concessa, enunciatae s. Restitutae parochus a S. Rituum Congregatione humillime petit declarari, an in casu, quo aliquis ex suis parochianis vita functus in Ecclesiae praedictae sodalitates ecclesiasticae sepulturae demandari debet, de quo ipse parochus officium funebre ducere tenetur, in hoc funebri officio comprehendatur etiam missa sollemnis ante tumulationem? Et sacra eadem Congregatio ad Quirinales aedes hodierna die in Ordinario coetu coadunata ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: „Affirmative ut in una Imolen. Jurium Parochialium die 13. Julii 1709.“ Et

ita rescripsit atque decrevit. Die 28. Julii 1832, n. 4693.

Etiam circumscripta consuetudine advenas et pertranseuntis in Cathedralibus et reliquos in parochia, intra cujus fines obierint, si per aliquod tempus habitaverunt, esse sepeliendos. S. C. Ep. 5. Julii 1592.

Spectare ad parochos sepelire et ad proprias parochias deferre cadavera eorum, qui in monasterio recepti sepultura non electa decesserant. S. C. C. 20. Jan. 1674.

Parochi pauperum cadavera gratis sepelire tenentur. S. C. Ep. 5. Maii 1617 et 31. Maii 1646.

(Conc. Tr. C. 13. Sess. 25. De ref.)

Vita functo de mense Decembris anni 1704 Balthasare Conzio parochiano Ecclesiae s. Gregorii de Curis hujus civitatis nulla facta electione sepulturae contenderunt PP. s. Francisci minorum Conventualium ejusdem pariter civitatis defuncti cadaver contumulandum in eorum Ecclesia in sepulchro Antonii Croti, sub praetense fundamento, quod esset sepulchrum majorum, nec non ratione consuetudinis: sed ex adverso renitente Felice Forlano altero ex rectoribus praefatae parochialis Ecclesiae s. Gregorii controversia inducta fuit coram Vicario Capitulari tunc temporis, qui sine praedictum cadaver contumulari in dicta Ecclesia s. Francisci in sepultura praefati Antonii Croti. Recursum proinde habuit praedictus rector ad hanc S. C. pro restitutione cadaveris ad propriam parochiam una cum emolumentis funeralium, et requisitus modernus Episcopus desuper informare praemissa confirmando retulit ex constitutione synodali Episcopi Altini sui Antecessoris praescribi cadavera de-

functorum tumulari debere in Ecclesiis parochialibus, sub quibus degunt, dummodo alias non extet sepultura Patris, minime comprehensa sepultura Matris, et quatenus ante obitum illam non elegerint; afferuntque ulterius defunctum Balthasarem extitisse haereditatem et nepotem ex latere materno Antonii Croti, praetereaque unicum sepulchrum adesse in antedicta Ecclesia s. Gregorii, in quo aliquando humata fuerunt cadavera parochianorum tam civium quam rusticorum, atque PP. e contra allegasse consuetudinem contumulandi alienos parochianos; iisdemque PP. informans subdidit jussu hujus S. C. usque sub die 2. Aprilis anni prope defluxi se terminum unius mensis praefixisse ad deducenda jura in eadem S. C., in qua hodie proponitur EE. VV. decidendum infrascriptum dubium:

An sit locus exhumationi cadaveris Balthasaris et restitutioni emolumentorum per Patres perceptorum in casu etc.?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad utramque partem sed stante lapsu temporis non esse deveniendum ad exhumationem.

Die 12. Januarii 1709.

Ad dub.: An Confraternitas SS. Conceptionis terrae Brixilli salvis juribus parochialibus jus habeat sepeliendi cadavera defunctorum, qui in ipsius Oratorio sepulturam elegerint?

S. C. resp.: Negative.

Die 20. Novbr. 1762.

Ad dub.: I. An in occasione delationis cadaverum sive Parochiae s. Crucis sive alienae ad ecclesiam exteriorem monialium Capucinarum Parocho s. crucis pertineat jus funerum cum cruce et stola private ad confessorium dictarum monialium, et an in supposito debeat ipsi Parocho quarta

funeris cerae etiam positae super altare, esto quod cadaver sit alienae parochiae?

II. An possit Parochus in eadem ecclesia et in suffragium defunctorum inibi tumulorum explere anniversaria cum officio et missa in cantu, sive ex devotione haereditatem sive ex dispositione testatorum?

S. C. C. resp. ad I.: Ad primam dubii partem affirmative, ad secundam negative;

ad II.: Affirmative quoad anniversarium relictum a Petrello, quoad alia coadjuventur probationes.

Die 23. Aug. 1727.

Ad dub. I.: An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiae s. Nicolai et tumulandorum in Ecclesia Cathedrali in casu?

II.: *An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiae s. Nicolai et tumulandorum in Ecclesiis saecularibus sitis in ambitu Ecclesiae Cathedralis?*

III.: *An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Cathedralis in casu?*

S. C. resp. ad I.: A Vicario s. Nicolai;

ad II.: A Vicario s. Nicolai;

ad III.: A Vicario s. Nicolai.

Die 15. Septbr. 1770.

Advenae seu hospites alique casu decedentes in regularium Conventibus, nisi eligant ibidem sepulturam, sepeliendi sunt de jure communi in Parochiali; cap.: In nostra 10 de sepulturis, ubi expresse cavetur non posse regulares sepelire nisi eos, qui vere in suis Ecclesiis sepulturam elegerint. Et ita censuit S. Congregatio Concilii in Ripana 3. Februarii 1652,

nempe non licere regularibus comoranti per aliquot dies in eorum Conventu ibique defuncto omnia Sacramenta ministrare et in eorum Ecclesiis dare sepulturam sine licentia Parochi, cui quarta funeralis debetur. Sic referunt *Pignatell.* tom. 1. consult. 306. n. 1., *Card. Petra* tom. 1. Comment. in Constitut. 9. Innocentii III. n. 49. et alii. Idem eadem S. Congregatio Concilii in Ravennaten. 20. Jan. 1674 censuit: „Spectare ad Parochos sepelire et ad proprias Parochias deferre cadavera eorum, qui in monasterio recepti sepultura non electa decesserant.“ Item eadem S. Congregatio Concilii in Gerunden. 3. Februarii 1694. Expugnato enim a Gallis praesidio de Roses in eodem vulneratus est Didacus Fonseca, qui hospitii causa se recipiens ad Conventum s. P. Dominici Gerundae, ubi Parocho irrequisito Sacramentis munitus decessit et sepultus fuit. Qua de re proposito dubio:

„An dicto militi Fonsecae potuerint religiosi, irrequisito Parocho, Sacramenta ministrare et corpus deponere?“ S. Congregatio respondit: Detur decretum in Nullius 19. Septembris 1637 tenoris sequentis. „Quidam miles occasione infirmitatis divertit in monasterium regularium ibique ab eisdem Sacramentum Eucharistiae pro Viatico et extremam unctionem recipit et exinde obiit, Parocho, intra cujus fines monasterium existit, reluctante.“

Quaeritur: *an administratio hujusmodi regularibus esset permissa?* S. Congregatio respondit: Non esse permissam; *Card. Petra* tom. 2. Comment. ad Constitut. 9. Innocent. III. sect. unic. unic. n. 49., *Pignatell.* tom. 1. consult. 306., *Passerin.* de statib. hominum tom. 2. pag. 187. art. 2. n. 229. et seq., *Bordon.* oper. moral. tom. 3. resolut. 51. n. 216., *Matthaeucci* offic. Curiae quoad sepul-

turam cap. 58. n. 14., *Antonell.* de regimine Eccles. lib. 1. cap. 12. n. 11. vers.: Infertur tertio, ubi sic expresse dicit: „Infertur tertio, eos, qui hospitii causa recipiuntur in Conventu regularium ibique infirmantur et moriuntur, in parochiali Ecclesia sepeliendos esse;“ et sic alii.

Si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in Parochia, in qua fuerit moriens et casu moriatur in aliena Parochia, non debet sepeliri in hac aliena sed in Parochia proprii sui domicilii, quia per istum egressum vel brevem absentiam non amisit propriam Parochiam nec alteram acquisivit: Pignatell. tom. 4. consult. 151., *La Croix* loco cit. n. 230. et alii.

Occisus seu casu moriens in confinio duarum parochiarum, si prius non sibi elegerit sepulturam nec habeat sepulchrum majorum, sepeliendus est in Parochia, sub cujus finibus reperitur caput cadaveris, ubi enim est pars nobilior corporis, ut est caput, censetur esse totum; l. cum in diversis 44. ff. de relig. et sumptib. funer. Et sic servat praxis et communis consuetudo, quae est optima legum interpres; cap.: Cum dilectus 8. de consuet. l. Si de interpretatione 37. de legib.

Ad Parochum spectat officium facere supra corpus defuncti domi et per viam et non ad regulares, quamvis in eorum Ecclesiis sepeliri debeat. S. Congregat. Concil. in Catanien. Civitatis Platiae 12. Octbr. 1619.

5) A Rectore Ecclesiae.

Quando Ecclesia tumulans est a parochiali diversa, ducto funere ad Ecclesiam non Parochus sed alius Sacerdos ejusdem Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus cotta et stola vel etiam pluviali nigri coloris prosequatur officium a Rituali romano prae-